



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Libera. Caput Tertium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

externam respicere, & regere debet Fidelitas. Ad Fidelitatem enim spectat, non solum ordinare hominem in veris, perfectisque promissionibus, quæ constantur ex externo, & interno actu, verum etiam, quæ solum continent externum.

Quemadmodum enim Veracitas inclinatur ad confirmanda externa verba cum animo interno, sic Fidelitas, quæ est valde affinis Veracitati, tendit ad confirmandas promissiones, etiam solum externas, cum executione in futurum ponenda; siquidem ad Fidelitatem pertinet, vetare, ne decipiatur proximus in recipiendis promissionibus: at hic deciperetur, etiam, quando promissio est solum facta exterius. Nè decipiatur, inquam, non ex vero jure, quod sit in ipso Promissario (tunc enim esset obligatio ex vera promissione) sed ex obligatione, seu debito, quod habet promittens, ne in suis dictis abroget sibi fidem, illam non servando, & ne sic impediatur commercia humana, decipiendo proximum, quod totum videtur à virtute Fidelitatis esse regendum.

9. Obvicies: ergo eodem modo, si quis se obligaret, solum verbis externis, ad faciendum aliquid, vel, solum verbis externis, voveret aliquid Deo, obligaretur ex vi Justitiæ, vel ex Religione illa observare: quod tamen a lib. 3 in Decal. c. 12. §. 1. n. 3. agendo de Voto.

Respondetur, negando hanc consequentiam, nam, ad obligationem Justitiæ fundandam, requiritur, ut transferatur Jus Justitiæ in alium, quod Jus, cum sit potestas, quam quis habet disponendi, ut libet, de rebus suis, non potest transferri sine ipsius voluntate. Si igitur sine animo obligandi dicas solum verbis, te obligare, non habes animum transferendi Jus in alium, ergo non transfers Jus, & consequenter non surgit obligatio Justitiæ. Rursus, ad Votum firmandum requiritur, ut Deus acceptet, seu acceptare existimetur, quod per Votum promittitur: at, quando tu Voto solo externo sine animo vovendi promittis, Deus videt tuum hunc actum non promittendi. Ergo non potest acceptare promissionem, quam nullam esse videt, nec potest ejus impletionem rationabiliter à te expectare. Quare Votum istud tuum nullam

asseret obligationem Voti. At in casu tuæ promissionis, quamvis solum externe homini facta, homo, qui cor tuum non videt, merito, & rationabiliter à te fidem datam expectat, immo exposcit: ergo merito virtus Fidelitatis te in hoc dirigere debet, ut scilicet promissum, etiam tunc, serves. Hæc breviter pro curiosis dicta sufficiant: nam, ceterum l. c. latius profequitur Delugo.

CAPUT III.

De illis Verbis.

Vtique libera.

1. **I**D commune esse omnibus contractibus, quia omnes voluntarii esse debent, mentione potius indiget, quam probatione. Nam propterea contractus furiosi, amentis, ebrii, dum tamen in amentia, affectione sunt, invalidus est. Quod si Fabianus b Papa dicit, neque furiosum, neque furiosam contrahere matrimonium posse, sed, si contractum fuit, non esse separandos, intelligitur, si contractus fuit, dum non erant in affectione furoris, nam eo deinde superveniente, non propterea desinunt veri esse conjuges.

2. His jam certis suppositis, solum hic quaerimus, an semiplena deliberatio sufficiat ad inducendam obligationem promissionis, sive sub mortali, sive sub veniali?

3. Dico, nequaquam sufficere, sive res promissa sit gravis, sive levis, sed semper esse necessariam deliberationem plenam, quæ est illa, quæ requiritur ad mortaliter peccandum. Ratio est, quia homo ad certam obligationem sibi inducendam, sive sub mortali, sive sub veniali, debet, ut homo, illam sibi inducere, At operans per semiplenam deliberationem non ut homo, sed ut semihomo, ut ita loquar, operatur, ergo, & cetera.

Confirmatur Primo, quia, sicuti per promissionem absolute se quis sub Fidelitate obligat ad hanc rem v. gr. donandam, ita absoluta debet esse deliberatio, qua rem illam à se abdicat.

Confirmatur Secundo, quia, sicuti ex communi sententia Legislator non potest imponere alteri legem quomodocunque obligantem, nisi perfecte deliberans, ita nec ipse ho-

CAPUT IV.
De illo verbo Descriptionis.

Spontanea.

1. Hoc etiam est commune omnibus contractibus. Quoniam vero id potest deficere in casu nostro, quando Promissio extorquetur metu, dolo, vel ignorantia, seu errore, & car. ideo hæc sunt breviter percurrenda.

Promissio Violenta, Meticulosa, Fraudulenta.

2. Promissio igitur per vim, vel per metum, vel ex fraude extorta, nulla est. Unde tu sic, animo repugnante, promittens, non obligaris facere, vel dare, quod promittis, nec Promissarius exigendi Jus ullum acquirit. Ratio autem est, quia tibi sic promittenti injuria fit, unde Jus ullum, orti non potest in alio.

3. Si metus fuit levis, idem aliqui affirmant, aliqui vero negant. Cum his posterioribus ego sentio, quia, dum metus est levis, in facile à te vinci potest (secus levis non esset) si non vincis, tibi imputatur, non alteri, metum inferenti. Dixi tamen alibi sententiam affirmantem esse probabilem. *g L. 1. in Dec. c. 2. §.*

4. Hinc sequitur, promissionem factam Parenti à Filio, Viro ab Uxore, Principi à Vassallo, Latroni à Viatore, propter metum gravem ibidem à nobis explicatum, sine quo facta non fuisset promissio, non inducere obligationem.

5. Quid, si Promissioni huic addatur Juramentum?

Respondeo, quando, quod promittitur, potest sine peccato adimpleri, inducit obligationem, non ex vi promissionis, quam nullam esse jam vidimus, sed ex vi Reverentiæ Deo debitæ ex virtute Religionis, De qua fuse diximus alibi *h L. 3. in Dec. c. 3. §. 5. n. 6.*

Promissio ex errore.

6. Error dupliciter potest in re nostra intervenire. Primo, in ipsa promissione. Secundo, in re promissa.

Quoad

mo sibi ipsi. Hanc sententiam, ut communem sequitur Molina, & alique, quos adi, ut aliquas objectiones solutas ibidem legas. Illud autem hic notant Doctores iidem, in homine sanæ mentis, quando aliquid promittit ex calore, sive iracundiæ, sive affectionis, sive similis passionis raro non adesse plenam deliberationem, quia rarissime tanta esse soleat mentis perturbatio, ut non sufficienter voluta sint, quæ tunc fiunt; secus homicidia, furta, fornicationes nimis facile (cum soleant in fervore passionis fieri) à peccato mortali excusarentur.

Promissio dubie libera.

7. Sed quid, si ve. e. omnibus expensis, dubitetur, an adfuerit plena deliberatio, quod quidem aliquando posset evenire in promittente, qui sit mentis sanæ, sæpius autem in amente habente lucida intervalla vel in amente circa aliquam materiam, non vero circa omnem, & in puero existenti intra confinia temporis acquirendi perfectum usum rationis, &c.

Respondeo. Si certus es, quod promiseris, sed dubitas, an perfectè deliberatè promiseris, Sanchez b te obligat ad exequendum, quod promissisti, & idem esse, ait, si sic vovisti. Ratio est, inquit, quia possidet tunc promissio, de qua certus es. Verum, sive sis certus, quod ore promiseris, sive sis dubius, si tamen dubitas, an perfectè deliberatè promiseris, puta, an promiseris, dum es extra perfectam deliberationem, te probabiliter non obligat. Castrop. ftopal. c Ratio est, quia, si dubitatur de perfecta deliberatione, non est certum, adesse promissionem, de cujus essentia est, esse à plena rationis advertentia. Quare tunc prava lebit tua libertas, quæ certa est. Hanc ego sententiam alibi d securus sum, ubi dixi etiam, quid sentiendum de Professione Religiosa. De Matrimonio autem dixi in Tractatu f de eodem.

**

Tamburinus de Sacramenta.